

**05**

**A**

**1485**









DE PACE ECCLE-  
SIAE EVANGE-  
LICAE  
Positiones

Partim *περὸ βλεψμάτων*, partim *περὸ ἰσχύος* usum præben-  
tes, ad responsum super Scripto Palatino expedien-  
dum, quo Ecclesiae totius Evangelicae fraterna  
coniunctio expetitur,

*Ad quas*  
SVB PRÆSIDIO

GEORGII MYLII D.

& Professoris Theologi, & Superinten-  
dentis in Academia & Ecclesia  
VVitebergensi:

*Respondere pro virili conabitur*

M. POLYCARPVS, POLYCARPI F.

Lyserus VVitebergensis,

*Ad XIII. diem Martij*

*Horis & loco consuetis.*

*Cum Privilegio Elector. Saxon.*

VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Sumptibus Pauli Helvichii, Anno 1607.





05 A 1485







THESIS I.



Rediit haud ita pridem in lucē libellus  
argumento constans haud infausto,  
quippe *eiglenndos*, & de pace Ecclesiae  
Evangelicae exhortationem cōtinens.

*Inscriptio libelli.*

II.

Ad eum respondere, equidem non  
ignoramus, non esse privati unius &  
alterius hominis.

III.

Nec inus inficias, scholastici suggesti & fori disputato-  
rii, non esse propriam hanc provinciam.

IV.

Ecclesiae enim istae partes sunt, quae hominum tum  
Theologica scientia, tum rerum usu ac prudentia valentium  
indaginem desiderant.

V.

Sed quid vetet interim, praeparatorio discursu argu-  
mentum istud ventilare, & stimulis quasi subditis, Ecclesi-  
am officii sui equidem non admonere; sed ad expediendum  
id, quod meditatur, susurratim quasi instigare.

VI.

Ecclesiae Palatinae subscriptionem libellus in fronti-  
spicio praese fert. Cujusnam? Electoralis, an diversae?  
Differentem enim esse, non est obscurum. Quid ergo si Pa-  
latina Palatinae respondeat?

*Subscriptio.*



VII.

Sed quia Electoralem intelligi, locus impressionis in eodem statim frontispicio arguit: quid sibi vult, quod socijs alijs, Helvetica, Sabaudica, &c. exclusis, Palatina causam istam suam facit? Sanè quod tangit multos, à multis itidem tractari debet, ne causæ communi, singulari actione præjudicetur, utq; constet, ratum iri habitum, quod in communi causa à parte una efficitur.

VIII.

Nonnihil etiam tempus ipsum editi libelli nos admonet. Imminere tum judicabantur Imperij Comititia, quæ tamen prorogationem passa sunt. Hac occasione abusus Palatinis, utinam non fuerit animus vel pomum Eridos aliarum deliberationum instituto subjiciendi, vel insidiosa machinatione Ecclesiam nostram circumveniendi, cum qua sciunt, aut scire saltem debent, causam istam tractandi non esse vel tempus, vel locum in Comitiorum strepitu.

IX.

In modo scriptionis etiam scrupuli aliquid oboritur. Quod omnibus scribitur, nemini scribitur, & in ventum quasi spargitur: præcipuè si anonymia illa accedat, ut à quo capite, vel autore, causæ tantæ tractatio proficiscatur, non constet.

X.

Cùm Concordiæ nostratis causa tractaretur, non publicis & anonymis scriptionibus negotium hoc commissum fuit: sed Principes ad Principes datis literis missisq; legatis, adhibito prius Theologorum, aliorumq; prudentium virorum consilio, rem istam curatam voluerunt. Idq; exemplo Israelitarum, Ios. 23. Quid? quod idem, aut non multum ab simili agendi modus Palatinis displicuit, si res seria ab ipsis tractata fuit. Sed generalia sunt ista, quæ missa facimus, ad eorum, quæ sunt specialia, considerationem accedentes.

Sum.



XI.

Summa libelli ad quatuor capita redigi potest, quorum primum est de Fine: secundum, de Via ad finem pertendente: tertium, de conditionibus: quartum, de causis consilii & exhortationis. Quæ singula qualia sint, accuratè disquirendum est.

*Summa libelli.*

XII.

Ac de Fine quidem multa in medium afferre, non est usque adeò necessum. Quo nomine Pacem operosè allegatis Scripturis suadere, Ioan. 13. 34. 35. & Ioan. 17. 11. 21. 1. Corinth. 10. 17. 1. Corinth. 21. 21. &c. id penulam est æstate deterrere.

*I.  
Finis.  
Pax Ecclesie.  
Fol. 3. 4.*

XIII.

Finem istum docet Natura, dicit ratio, pietas imperat idque tum etiam, si res sit nobis cum hominibus duntaxat, in quibus universali lege Naturæ conjunctis, præter Naturæ societatem nihil amplius invenimus, Rom. 12. 13.

XIV.

Arctius hoc bonum nobis commendat communis gratiæ Vocatio apud eos, qui Christo Servatori ac redemptori nomen dederunt, ubi ex Naturæ conscientia, pacem corporis, ut membra: ex gratiæ conscientia, pacem Ecclesiæ, ut Filii Ecclesiæ, studio omni meditari, officio procurare provirili parte debemus, ut alii feramus alios, & nunquam committamus, ut pax à filiis Pacis oppugnetur.

XV.

In hujus pacis studio si Ecclesiæ Palatinæ, & sociis, Evangelicæ nostræ hætenus officium suum non probavit, Deo judici supplicamus, qui paterna sua gratia efficiat, ne diutius isti Ecclesiam nostram legitimo testimonio defraudantes, in meridie ipso cæcutire deprehendantur.

XVI.

Imò hac in parte in orbe Christiano dicæ Palatinæ ipsi Ecclesiæ scribitur, quæ ea huc usque pacis specimina edidit, ex quibus patere non potuit, quantum apud istam non dico



communis gratiæ Vocatio: sed vel ipsa Naturæ saltem societas valeat. Id quod Ambergensis Ecclesiæ suspiria, Bonreuttenensis sanguinolentæ lachrymæ, Ministrorum exilia, civium captivitates & mulctæ, subditorum pressuræ, documentis manifestis attestantur. Atque utinam non lingua testentur diversam, quàm animus sentiat, dum pacem & concordiam pleno ore eructant.

XVII.

Equidem nos bifariam Pacis indefessum studium, tum Palatinæ, tum aliis sociis Ecclesiis testatum ex abundantifacimus. I. rogando ipsos, ut si qua est exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ sunt viscera miserationum, ut de explendo piorum gaudio cogitent, & novationibus turbulentis Ecclesias vastare, artibus omnia evertere ac cædibus etiam nonnunquam cruentare desinant.

XVIII.

Deinde precibus ardentibus orando Deum, ut hominum istorum misertus tandem, ad pacis si non Ecclesiasticæ, politicæ saltem studium sic eorum animos flectat, ne tranquillitate ea frui porro nõ possit Ecclesia, quam si non optatam, tolerabilem saltem per summas illas Dei miserationes habere illa poterat.

XIX.

Quid est autem, cur Palatinæ Ecclesiæ, ac sociis, pacem istam non præstemus, qui ad hujus præstandæ officium, cum Romanæ etiam Ecclesiæ in religioso fœderis obligationem venimus, cujus fidem si pacta non firmarent maximè, religio tamen ipsa atq; conscientia in animis nostris stabiliret.

XX.

In cujus nexus societate non est, ut vel in sidiosè ingerant, vel importunè aut vano metu, intrudant sese Palatini, quibus non minus fide, quàm istis fœdere deberi à nobis, ut ut illi non agnoscant, nos tamen per gratiam Dei rectissimè nobis sumus conscii.

XXI.

Quod



Quod si ulterius non progrediretur Palatinorum suasio, nec aliud quæreret, quàm hactenus dictum est: labore scriptio- nis & exhortationis superscedere facile poterat. Peteret. n. quod habet, quæreret, quo fruitur, ac fruitur quidem postquam à Deo est discessum, nostræ potissimum Ecclesiæ beneficio.

XXII.

Verùm transilit modestiæ & æquitatis limites suasio Palatina, finem istum ea viâ nobis commendando, qua nobis per pietatis conscientiam non fas est, ambulare aut tutum progredi, Fraternitatis scilicet.

I I.  
Via Fraternita-  
tis.

XXIII.

Hic finium Ecclesiæ regundorum actus est, quorum terminos non confundi, tanti nostra interest, quanti est periculi, salutis ipsius æternæ causam interverti. Id quod hypotheses sequentes monstrabunt.

XXIV.

Prima hæc esto, Gemina lege fidelium conscientiæ obstringuntur in Scripturis, Tuendæ tum veritatis, tum pacis.

XXV.

Pax imperatur Matth. 5. 9. Beati pacifici, Marc. 9. 50. Pacem habete inter vos, Rom. 12. 18. Non est dissensionis Deus, sed pacis, 1. Cor. 14. 33. Hebr. 12. 14. Pacem sectamini cum omnibus, Iacob. 3. 18. Fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. 1. Pet. 3. 11. Qui vult vitam diligere, &c. inquirat pacem & sectetur eam. Et passim alibi.

XXVI.

Veritatis studium commendatur, Ioh. 17. 17. dum Christus pro electis intercedit apud Patrem, Sanctifica eos in veritate. Gal. 2. 5. Veritas Evangelii permaneat apud vos. Gal. 3. 1. fascinatio vocatur, si non obediatur veritati. 2. Ioan. 7. 2. Veritas permanet in piis. 2. Thes. 2. 10. In receptione veritatis, salus: in repudiatione, exitium consistere dicitur, 2. Tim. 2. 25. Qui veritatem non agnoscunt, diaboli laqueis captivi teneri perhibentur.

V tra-



## XXVII.

Vtraque conjunctim præcipitur Ephes. 4. 3. Sollicitè stote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ephes. 4. 15. Veritatem facite in charitate. 2. Tim. 2. 22. Sectare iustitiam, fidem, spem, charitatem & pacem. Zach. 8. 16. Veritatem tantum & pacem diligite.

## XXVIII.

Nolumus hinc suspicione gravare Palatinos, quasi sepiæ atramentum spargant, dum veritate prætermissa, pacis solius studium inculcant: sed istud tamen monitos volumus, Spiritu S. autore, non ipsis magis ad pacem, quam ad veritatem respiciendum esse.

## XXIX.

Quin imo si digitum & ductum Christi attendere libet, hujus potior, quam illius observatio nobis esse debere innuitur, id quod ordo ipse monstrat, quo paci veritas anteposita esse cernitur.

## XXX.

Scriptit alicubi Erasmus, Mihi adeò in visa est discordia, ut veritas etiam displiceat seditiosa. Id si de vitio hominum intellexit, mitigationem scriptio admittit. Sin de eo, quod accidit, sensus ipse fuit, utique à veritate multum aberravit.

## XXXI.

Pio enim cuique ita Veritas chara esse debet, ut pax quævis displiceat, quæ cum mendacio est conjuncta.

## XXXII.

Speciosum quidem nomen est pacis, inquit Hilarius, & pulchra est opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam solum Ecclesiæ atq; Evangeliorum unitam pacem esse, quæ Christi est?

## XXXIII.

Quo in sensu Erasmus Erasmo opponimus, qui alibi in iisdem epistolis scriptum reliquit, Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit; quam pax illa, quæ separat a Deo.

Quin

In Epistolis.

Cont. Arrian.  
f. 213.



## XX XIV.

Quin ergò secunda hæc esto hypothesis, Concordiam atque pacem veritate vacuum, esse impiam, iploque facto nullam.

## XXX V.

Ita quidem divinarum Scripturarum oraculis edocemur. Luc. 11. 23. Qui non est mecum, inquit Christus, contra me est & qui non colligit mecum, dispergit. 2. Corin. 13. 8. Non possumus aliquid adversus veritatem. 2. Ioan. v. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. 2. Corin. 6, 14. Nolite ducere jugum cum infidelibus. Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi & Belial? quæ pars fidelium cum infideli? quis consensus templo Dei cum idolis? Quo sensu Apostolus hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitandum esse monuit, Tit. 3. 10. imò Hymenam & Alexandrum circa fidem naufragos, Satana tradidit, 1 Tim. 1, 20.

## XXX VI.

Quod si pro hoc sensu exempla antiquitatis libeat adducere, non singularia illa, Ioannis, qui cum Cerintho balneum sibi commune esse noluit: Polycarpi, qui Marcioni fraternitatem atq; amicitiam ambiens, respondit, Agnosco te primogenitum Satanae: sed communia Ecclesiarum Antiochenæ, Alexandrinæ, Nicomediensis, Constantinopolitanæ & similium, qui à corruptelarum & schismatum patronis, eorundemq; a seclis divortio manifesto se abjunxerunt: instituti modum tela ista longè excessura esset.

*Euseb. hist. lib.  
4. c. 14.*

## XXX VII.

Sed & damus tertiam hypothesis, Pax quædam externa est, temporalis & politica: spiritualis alia & interna, cuius utriusq; maxima est discrepantia.

B

Illam



XXXVIII.

Illam colere possunt ac debent omnes; hæc in solo  
piorum exercitio consistit.

XXXIX.

Illam omnes exercere debent erga quoslibet: hæc soli  
Deo, atque ejus piè fidelibus ultrò citròq; intercedit.

XL.

Illa ut mutuò sese homines ferant, & in externa qua-  
dam societate pacatè invicem agant, efficit: hæc, ut spiritu  
unum sint homines, præstat.

XLI.

Illius partim ex naturæ lege, partim ex vocatione ad  
communionem gratiæ, vinculum dependet: hujus tum in  
consensu de veritate cœlesti, tum in voluntatum atque a-  
nimorum pia conjunctione fundamentum unicè consistit.

XLII.

Exemplum hujus in primitiva Ecclesia proponitur  
Act. 4. 32. Multitudinis credentium erat cor unum, & ani-  
ma una. Christus autem conjunctionis hujus benefi-  
cium fidelibus suis à Patre cœlesti exorat, Ioan. 17. 21.  
22. 23.

XLIII.

De hac pace verissimo verius scripsit Nazianzensis. Ni-  
hil ad concordiam usque adeò validum est in iis, quibus res  
divinæ verè cordi sunt, atque consensus de Deo. Nec  
quicquam adeò facit ad dissidium, atque de eodem dissen-  
sio.

XLIV.

Ephesino Episcopo suo Apostolus ita præcipit, Sectare  
charitatem & pacem, cum iis, qui invocant Dominum de  
corde puro, 2. Tim. 2. 22.

XLV.

Iam cum alibi pacem esse Apostolus idem dixerit, quæ  
cum

*Orat. de Pace.*



Cum omnibus hominibus sit colenda, uti supra commonstratum est: aliam certè pacem esse arguit, quæ nobis cum solis piè fidelibus intercedit.

#### XLVI.

De hac ergo pace accipiendi sunt loci Evangelici & Apostolici, quos ex sermone Christi valedictorio, & epistola Corinthiaca libellus Palatinus adduxit, quos ad pacem promiscuè cum omnibus colendam referre, à mente Christi & Apostoli prorsus alienum est.

#### XLVII.

Tam ergo patet tandem ex datis hypothesibus, quàm sit iniqua suasionis Palatinæ flagitatio, nimirum 1. Pacem à nobis exigunt, quæ sit veritate vacua, & cum ejusdem proditione conjuncta. 2. Coalescere nobiscum in Christo volunt: sed citra unitatem Spiritus. 3. Fraternitatem expectant in dissidio de Deo, quam postulare, à ratione alienum: præstare à pietate est quam maximè dissentaneum. Id quod liquidum sequens demonstratio efficit.

#### XLVII.

De pace Ecclesiæ verba faciens Psaltes, inter fratres & amicos sive proximos dispescit, Psal. 122. 8. horum nomine eos notans, qui tametsi non sint prorsus extra promæria Ecclesiæ, saltem secundum formam externam atque ordinem aspectabilem: germana tamen Ecclesiæ veræ membra non sunt, neque ex facto adhuc sub unitate Spiritus ad eam pertinentia.

*Amici.*

#### XLIX.

Fratres autem in Ecclesia vera appellantur, qui in Ecclesia ipsa sunt, non societate tantùm Naturæ, aut communionem gratiæ: sed veritate etiam & unitate Spiritus in Christo Iesu conjuncti.

*Fratres.*

#### L.

Fingamus ergo, Palatinos intra gremium fraternitatis ad-

B 2

mitri



mitti à nobis; jam facto ipso testabimur, errores eorum vel approbari à nobis, vel in eo censu haberi, quibus veritas cœlestis nulla parte violetur. Quorum neutrum religio conscientie permittit. Non est quidem cum Christo unum, qui cum fratre unionem solvit: Sed & unum cum Christo esse desinit, qui fraternitatis vinculo cum eo coalescit, qui cum Christo non colligit.

L I.

Mirandum verò est, beneficium fraternitatis ab Ecclesia Palatina apud nos jam ambiri, quod majores ipsorum utraq; manu quondam in Comitibus Augustanis A. 1530. repudiata nostra Confessione, respuerunt.

L II.

Et quid est, quod in societate fraternitatis ejus esse cupiunt, cujus stabiliorem coalitionem, per Formulam Concordiæ superiori tempore factam, adeo illi Deo invisam esse pronunciarunt, ut abominatione qua vis sit detestabilior:

L III.

Sed ad fontes ipsos dissidii, quo nostra & istorum Ecclesia scinditur, propius fiet accessio, Vbi cœlum terramque testem vocamus, & mundi universi judicium imploramus, ratione an pertinacia, judicio an temeritate, jure an injuria factum sit, quod & à Luthero negatum est Cinglio in Colloquio Marpurgensi Anno 1527. fraternitatis beneficium: & nos jam ab ejusdem beneficii concessione & indulgentia magis magisque, adeoque totis mentibus abhorremus.

L IV.

Equidem si in eo adhuc statum esset causa controversiæ, quo fuit tempore Colloquii Marpurgensis, & causæ novæ int. rim exortæ non fuissent: fortasse minus difficilem se Ecclesia præbere hoc seculo poterat.

L V.

Verùm exasperata nimis, & temporum progressu in pe-



ius identidem mutata est Ecclesie adversa professio & doctrina. Id quod privata illa causarum, rerum, actionum, dictorum, scriptorum singularium discussione atque examinatione hoc loco omissa, communium tantum & publicorum dogmatum, eorumque, quibus jus & autoritas similis esse potest, assignatione monstrabo.

LVI.

De Deo in Colloquio publico Montbelgartensi non dictum, sed scriptum est: non disceptatum, sed enuntiatum est, Deum efficere non posse, ut Christi corpus uno eodemque tempore, pluribus locis essentialiter presens sit, aut ut alibi nunc sit, quam in caelis, fol. 33.

LVII.

De eodem ibidem fol. 517. 523. publice assertum, & deinceps acriter propugnatum fuit parte 2. Resp. ad Acta Colloquii, fol. 147. Deum absoluto quodam & occulto decreto, & voluntate ea, quae causas omnes ordine antegreditur, maximam generis humani partem, non ad exitium tantum aeternae damnationis: sed & ad peccatum ipsum ab aeterno praedestinasse: quia justitiam suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad aeternam damnationem destinasset.

LVIII.

De lapsu protoplastorum & peccato originali publice pugnatum fuit, Oportuisse illos per Satanam decipi & labi, ut misericordiae in condonando delicto locus esset. Lapsum ergo istum non invito Deo, neque nuda & otiosa permissione aliqua, quae ab ipsius voluntate & decreto separetur, factum esse: sed cum finem ordinaverit Deus, necesse quoque esse, ut causas ad eum finem ferentes, constituerit. Colloq. fol. 525.

LIX.

Velimus, nolimus, cogimur admittere, habet Cinglii

B 3

publi-

*Dispositio doctrinae utriusque.*

*Deus*

*Lapsus protoplastorum.*



publica confessio, Peccatum originale, ut est in filiis Adæ, non propriè peccatum esse. Vnde est, quod Calvinus Instit. l. 4. c. 15. Beza Resp. altera ad acta Colloq. f. 103. 129. infantes fidelium Sanctos & membra Christi nasci, generatione carnali non obstante, pronuntiat.

L X.

*Redemptio.*

De opere redemptionis & redemptore ipso docetur ab adversariis, Intolerabilem esse vocem, si Christus dicatur mortuus esse pro damnatis, Collop. Montb. f. 514. Hoc dogma peculiariter suum fecit Ecclesia Palatina, disputando, Christum non esse mortuum pro omnibus, Tossanus thes. 27. A. 99. Danæus in der Rettung f. 97. sed tantum pro electis. Cui dogmati tamen adversa statim fronte repugnatur, cum beatis cœlitibus in æterna vita adjunguntur Catones, Scipiones, Aristides, Socrates, Numa, Camillus, Hercules, & similes ethnici, quibus cum fide Christiana, ejusque organis nihil commune fuit. Cinglius in expos. fidei & R. Gualtherus in Apologia.

L X I.

*Persona Christi.*

De persona Redemptoris Christi si singula & singularia excutere libeat, nihil penè ab istis incorruptum relinqui deprehenditur. Sed emblemata aliqua publica colliguntur, ex quibus tanquam ex ungue leo cognoscatur. 1. Unionem duarum Naturarum hypostaticam talem tradunt, quæ sola *παρὰ σάρκα*, id est, gestatione & sustentatione Humanitatis à Divinitate definiatur, quæq; salva dici possit, Totum *λόγον* esse in Carne assumpta, & totum *λόγον* esse extra eandem Martyr. dial. f. 10. Quid de hoc fœtu Nestoriano sentiat Lutherus, T. 3. Ien. in Confes. Majori videre licet.

2. Prædicationem humanorum de Deo, & divinorum de homine, quantum ad Naturas, tantum esse verbalem docent Admon. Neostad. f. 70. Quod est planè Samosatenum ex mortuis resuscitare. Hinc propositiones istas, Deus est homo,



homo, filius Mariæ est filius Dei, proprias & regulares nominant, Consens. Orthod. f. 19. 22. & sic resolvunt, Filius Dei, qui sustentat humanam naturam, est Deus. Denique nihil verè dici de Humanitate posse asserunt, nisi quod vel ipsa est essentialiter: vel quod accidentaliter & subjectivè ipsi insit, Et hanc enuntiationem, qua Deus dicitur passus, sic interpretantur, Deus, id est, caro Deitati unita est passa, Homo est omnipotens, id est, Deitas Humanitati unita, est omnipotens, Resp. ad acta Colloq. f. 183. Hæc est illa Cinglii ἀνομιώσις, quàm Lutherus verè & graviter Larvam Diaboli appellat in majori Confess. T. 3. Ien. f. 455.

3. Adorationem non in ipsam carnem Christi, etiam in hypostasi Filii Dei manentem, dirigendam esse: Qui hoc faciat, cum ex ipsius Dei ore maledictum esse, Danæus Exam. f. 417. 418. Et in Assert. f. 38. Nullam carnis aut humanæ naturæ cognitionem necessariam esse, imò prorsus removendam esse, à religiosa Dei, divinæq; naturæ etiam in Christo ipso adoratione. Oblasphemiam!

#### LXII.

De Iustificatione docent, eam infantibus sine propria, Resp. 2. ad Act. Colloq. f. 97. Ethnicis aliquibus sine omni fide obtingere. Cinglius in Expos. fidei.

*Iustificatio.*

#### LXII.

Donum fidei, & quæ illud necessario consequuntur, solis electis Dominum largiri. Præfat. resp. prior, ad Colloq. Montb. f. 25. Mortaliter peccantes (qualis fuit David adulter & homicida, Petrus abnegator) fidem non amittere, & templum Christi nihilominus manere. Beza Vol. 1. f. 207. Zanchius Miscel. f. 242.

*Fides.*

#### LXIV.

De Ministerio & prædicatione Evangelii tradunt, Multos per Verbum Evangelii forinsecus vocari, quos tamen

*Ministerium Verbi.*



tamen Deus simpliciter nolit venire, quippe quos absolute à se rejecerit, imò idcirco vocari, ut ipsi sese indurantes menturam suam impleant. Resp. 2. ad Acta Colloq. f. 149.

LXV.

De libertate Christiana quid sentiat Ecclesia adversa, circa usum ceremoniarum liberum, id praxis Ecclesiastica ostendit in iis locis, in quibus de formem reformandi potestatem illa obtinet.

Libertas Christiana.

LXVI.

De Sacramentis Cinglius in sua ad Imp. Confess. A. 30. scribit, Credo, imò certò scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem & dispensent. Et palpabilis error vocatur, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, jus conferendæ gratiæ, principalis quidem Deo, instrumentalis autem sanctis tribuitur. Resp. 2. ad Acta Colloq. Montb. f. 115.

Sacramenta.

LXVII.

De Baptismo negant, Salutem ab isto pendere, aut fundamentum salutis ab eo inchoari. Et aliquam virtutem latentem aliam aquæ (licet sacramentali) attribuere, quam sacramentalis significationis, existimamus manifestam esse idololatriam: Colloq. Montb. f. 437. Et Ant. Sadeel in respons. ad fid. profess. Burdegal. art. 11. scribit: Siquis dicat Baptismum esse ad salutem necessarium, eam non esse suam & sociorum sententiam.

Baptismus.

LXVIII.

Nunquam ego dixi, inquit Beza in præfat. resp. prioris ad Acta Colloq. Montb. f. 24. Baptismum esse regenerationis in pueris ob signationē: neq; dixi, pueros vel omnes vel aliquos (Nullos ergo) re ipsa in illo Baptismi momento regenerari: sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato, illum Baptismi actum in infantibus, ex verbi auditu subsequi.

At num in omnibus baptis-  
fatis



satis istud evenit? Nequaquam. *Solis enim electis* donum fidei, & quæ illud necessario consequuntur, Dominus, quod eum tempore ipsi visum est, largitur. Probabiliter autem quos visum pueros, tum adultos, censere nos Christiana charitas jubet inter electos &c. Sic ergo parentes de salute baptisati infantis certi esse nequaquam possunt.

LXIX.

De Cœnæ Dominicæ verbis Institutionis scribit Cinglius in subsidio, Verba ejus Tropicè accipienda esse, quod ipsa à Spiritu in somnis sibi suggestum habeat, qui ater an albus fuerit, ignoret.

LXX.

Verborum illorum, Hoc est corpus meum, septem ut minimum explicationes producuntur, nusquam sibi coherentes, quæ spiritum vertiginis arguunt.

Carolstadius *ἢ* HOC non ad panem Eucharisticum: sed *δεικνῶς* ad id, quod accumbere cernebatur, retulit.

Cinglio EST idem valet, quod Significat.

O Ecolampadio Corpus notavit Corporis figuram.

Calvinus Corpus de Meritis & efficacia corporis accipiendum esse statuit.

Eidem corpus non verum & essentiale: sed *νοητὸν*, intelligendum esse visum fuit.

Nonnullis placuit *ἕως* corporis pro ipsa *σῶσι*, ut corpus, quod traditum est, idem sit, atque corpus, Quatenus traditum est.

Heidelbergenses in Catechismo suo f. 37. Edendi verbum de interna & fidei acceptione Christi & passionis ejus interpretantur.

LXXI.

Tigurini & Genevenses in Formula Confessionis f. 23. scribunt, Corpus Christi à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto *cœlum abest à terra*. Nos affirmamus,

C

dixit

Cœna Domini.



dixit Beza in Colloq. Possiaceno, Christi Corpus & sanguinem tantum à pane & vino abesse, quantum coelum à terra abest. De bello Gall. f. 261. T. I. Theol. f. 673.

LXXII.

Beza scriptum reliquit in Epist. *Excrementum Satanae* esse eorum dogma, qui *oralem seu realem carnis* Christi manducationem in S. Cæna statuunt: imò commentum appellat, cuius vel ipsum Satanam pudeat.

LXXIII.

Ne plura odiosè hoc loco sint coacervanda, ad eos libellos lectorem remittimus, quibus Theologiæ Sacramentariæ *σύνοψις* in certa quædam capita à nostris Theologis est congesta, non autoribus tantum, & libris; sed verbis etiam formalibus allegatis.

LXXIV.

Hæc omnia & singula, & his centies tum plura, tum graviora passim in publico prostant: hæc in bibliothecis publicis & privatis asservata manent: hæc Ecclesiæ totius Christianæ manibus teruntur. Neque horum quicquam est, cuius vel retractati indicium appareat uspiam apud adversarios: vel de quo corrigendo spes esse in futurum possit.

LXXV.

Agite quæsumus amici Palatini, cuius dogmatis jam vos tandem pigeat, ostendite: quid ex tanti temporis certaminibus & habitis colloquiis melioris sensus hauseritis, expromite.

LXXVI.

Imò ut amicitia fidem magis vobis testatam faciamus, si veritate victi, cogitatis ad Ecclesiæ nostræ pomeria sinceriora transire, ut sine ignominia transeatis, non vicisse volumus, Christo Servatori laudem salutis nostræ in solidum tribuentes, non nobis, sed Deo trophæa collocabimus, hoc imò à vobis impetrate, ne veritas Evangelii amplius à vobis

bis



bis malè audiat, sintque à vobis aliena, quæ nimium falsa & horrenda ex scriptis vestris recensuimus.

LXXVII.

Sic Dei salutarem manum è coelo medicinam fecisse lætabimur, sic Ecclesia Christi diffidiis quibus, justo Dei iudicio hæctenus flagellata fuit, sanè perquam exitiosis, se liberatam esse gratulabitur.

LXXVIII.

Si hac via vobis ingredi nondum est animus (quod utinam avertat Deus clementissimus) non novum, aut mirum vobis videbitur, si via fraternitatis in pacem vobiscum coalescere adhuc horrescamus, amicitie pacem ex parte nostra interim, ex proposito quidem, & scienter, nunquam violaturi.

LXXIX.

Quæ in parte mitiores sumus vestro illo Beza, qui recusatis sibi à nostris hominibus fraternitatis dexteris, amicitie etiam dexteram acceptare noluit. Colloq. Montbelg. f. 568.

LXXX.

In quam sententiam ne nudiustertius demum descendisse videamur, en vobis Lutheri aphorismum damus, cujus hæc sunt verba: Politicam pacem cum istis hominibus equidem colemus. Quod verò societatem spiritualem, vitabimus eos, damnabimus, arguemus, dum spiritus hos regit artus, tanquam depravatores Verbi divini, blasphemos & mendaces: Interim ab ipsis, tanquam hostibus, toleraturi persecutionem & discordiam, quamdiu permissum hoc illis à D E O fuerit: pro ipsis etiam preces ad D E V M fufuri, & monendo instituri, ut desinant. Sed blasphemias



ipforum tacere aut probare, neque possumus, neque volumus T. 3. Ien. f. 341.

LXXXI.

In qua sententia Ignatium etiam fuisse, apophthegma illud ipsius ostendit, quo dicere solitus fuit, Nemo potest amicus (aut frater) meus esse, qui Dominum meum blasphemat.

LXXXII.

Et quid Philippo Landtgravio Hassiæ, fraternitatis istius suasionem in Colloquio Marpurgensi, Anno 1529. enixè urgenti, à Brentio & Melanchthone sit responsum, peculiari & gravissimo scripto in publico constat.

LXXXIII.

Sicut nec illud latet, saltem Sleidano lib. 8. & 17. attestante, quod ab Electore Saxone Helvetiis, Anno 1531. Francfurti in cōventu Principum, in fædus recipi flagitantibus est responsum: quodque Evangelici Principes semper sunt testati, pro fidei sociis à se nunquam fuisse agnitos, aut etiamnum agnosci, qui in doctrina de Coena Domini semel divortium ab Evangelica Ecclesia fecerint.

LXXXIV.

Et meritò miramur vehementer cum Luthero, siquidem *πληροφoρίας* fidem de doctrinæ suæ veritate conceptam animo adversarii habent, & non contra testimonium propriæ conscientiæ faciunt, dum nos falsæ atque impiæ, imò multis modis hæreticæ doctrinæ patronos publicè proclamant: quo animo illi fraternitatis nostræ conjunctionem ambiant?

LXXXV.

Iubet quidem *hostes nostros* diligere Christus: *suos* verò *hostes diligere* nusquam jubet, quales sunt, qui falsâ doctrinâ in Ecclesia grassantur, & animabus, Christi sanguine redemptis, exitium struunt. Horum commercia humanitatis

præ-



prætextu, & officio charitatis excusare, à pietate alienum est. |  
Quod tamen de *obstinatis & errorum patronis atq; autoribus*  
intelligi maximè volumus.

LXXXVI.

Vt ergo concludamus hunc locum, *Via fraternitatis*,  
sub diffidio isto religionis, in pacem Evangelicam nos cum  
Palatinis & sociis eorundem coire posse, disertè negamus.

LXXXVII.

Sed conditiones examinentur, quibus illi viam istam  
persuadere nobis satagunt, sic comparatas, ut istorum homi-  
num misereat, pigeat, pudeat.

III.  
Conditiones fra-  
ternitatis.

LXXXVIII.

Primum opinionum de fide (f. 5.) & fundamenti fidei (f.  
23.) discrimen nobis inculcant, & dum fundamenti integri-  
tatem prætendunt, pleraque sub opinionum de fide titulo  
libera sibi esse postulant, dumque in capite rei consensus sit,  
de opinionibus hominum non laborandum esse existimant.

LXXXIX.

O miseram, & bis miseram fidem, de qua opinari cuili-  
bet licet, quod libet, in cuius consociationem nos venire, pi-  
aculo nobis ducimus.

XC.

Iam enim fides esse desinit, circa quam opinionibus ho-  
minum, sibi invicem repugnantibus, locum relinquendo, ad  
Pyrrhonicam impietatem pleno gradu descenditur. Cujus  
fundamentum, quo se modo habeat, infra discutietur.

XCI.

Sic Pelagius ad summam religionis nihil referre dixit,  
quo modo quisque verba illa Scripturæ de Peccato Origi-  
nis, Rom. 5. Eph. 2. Psal. 51. intelligeret. Esse enim rem *Quæ-*  
*stionis*, non fidei.

XCII.

Ecquæ verò hæresis sub Argolico isto clypeo latibulum



non inveniet? Et quam monstruosa fœditate facies Ecclesiæ  
καυσιπερμία ista deturpabitur?

XCVIIII.

2. Secundò doctrinæ nostræ publica defensio, & contra-  
riæ sententiæ refutatio à Palatinis libera nobis offertur, fol.  
55. 56. cujus libertatis usu Ecclesias nostras illi à se minimè  
spoliandas esse profitentur.

XCV.

117  
III  
Quid est ergò, cur adeò nobis succenseant, dum adver-  
sæ sententiæ dogmata à nostris hominibus acriter refutan-  
tur?

XCV.

Et quid sibi edicta illa Palatina, & Palatinorum similia  
volunt, spiritu Palatino in diversis locis promulgata, quibus  
docere Ministri, non disputare: realia, non πολεμικά tracta-  
re: concionari, non litigare jussi fuerunt, sub exilii & sup-  
pliciorum comminatione? nisi quod vulpina induitur, dum  
leoninæ usurpandæ occasio ipsis optata non affulgere intelli-  
gitur.

XCVI.

Num verò sub istiusmodi dissidio satis, fiet præcepto A-  
postolico, Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, una-  
nimes, id ipsum sentientes, Phil. 1. 2? Siccine unitas spiritus  
servabitur in vinculo pacis. Eph. 4, 3?

XCVII.

3. Tertio, cum ipsi nos minimè damnare cupiant, hoc so-  
lum flagitant, ne à nobis ipsi quoq; damnentur, & in concio-  
nibus nostris odiosè perstringantur. f. 56.

XCVIII.

Quæ verò hæc est ratio, amici Palatini? Cum Beza  
quondam objiceretur, non homines, sed dogmata ipsa, non  
Ecclesias, sed impios Doctores damnari, responsum est ab  
ipso, Quis sese non arbitrabitur, in eo, quod defendit, do-  
gmate



gmate condemnatum? Et hæreseos damnata pastorum doctrina, quam greges communi consensu receperint, quomodo non damnentur Ecclesiæ? Cum Patriarcha ergo hoc suo Palatinis prius conveniet. Vol. 1. f. 144.

### XCIX.

Atqui in divortio sententiæ nos utrobique sumus: Simulationis & sensum, & factum in Petro damnavit Paulus, Gala. 2. 11. A personæ autem damnatione longissimè ipsum abfuisse credimus.

### C.

Damnatus est in Cypriano error Donatisticus, in Origene, & quamplurimis aliis, Chiliasticus. Ecclesias tamen ipsorum damnatas esse, à pio nemine legimus.

### CI.

Quid autem privilegii præ aliis corruptelarum patronis Palatini sibi flagitant, dum in errore tam inveterato non tantum Evangelii cursum tamdiu impedire: sed & Ecclesias, quas possunt, turbare & seducere idem non desistunt?

### CII.

Quartò scriptis publicis sibi deinceps parcere cupiunt (f. 56.) quibus in ipsos fiant invectiones, quibus saltem eo nomine minus sit opus, quoniam controversiæ plurimis aliis in luce publica prostantibus, jam sint explicatæ.

### CIII.

Atqui non quærendum est duntaxat; sitne id, de quo controversatur, antea explicatum: sed in eo cardo est, an id us etiam sit perspectum, de quorum salute nobis in presenti laborandum est.

### CIV.

Acerbitas styli in hoc genere scripturum, equidem minime



nimè est probanda. Sed & illud meminisse par est, ἀπ' ἐργῶν  
& καλῶν, οὐκ ἐστ' ἐπικαλᾶ. Et si malæ causa patroni laceſſere  
non deſiſtunt, minus mirum eſſe, ſi in cauſa bona aliqui non  
uſq; adeò ſibi temperent.

CV.

Sed ad locum ultimum fiat progreſſio, in quo cauſarum  
fit assignatio, quibus viam monſtratam, non in veritate,  
Zach. 8. ſed ſimulatione ambulandam, perſuadere nobis an-  
nituntur.

CVI.

Primum Quæſtiones, de quibus utrinq; multis jam an-  
nis controvertitur, ſic eſſe comparatas dicunt, ut ſine iſta-  
rum notitia multi utrinq; ſint ſalvati, neq; ſalutis ratio etiã  
in iſtis verſetur, f. 4. 5.

CVII.

Indicet ergo mundus univerſus, imò tu Chriſte iudex ju-  
ſtiſſime iudica, quo jure nos ab iſta gente, tot annorum de-  
curſu, peſtilentiſſimorum errorum rei, Sataniorum men-  
daciſſimorum patroni, & hæreticorum omnium peſſimi, hæte-  
nus fuerimus proclamati,

CVIII.

Cum de controverſia Eucharistica à Petro Martyre  
ſubſcriptio in formula quadam confeſſionis requireretur,  
ſcribit Ioſias Simlerus in Vita P. Martyris, ab eo reſponſum  
eſſe, Quæſtionem iſtam non tanti eſſe, ut inter fideles com-  
munionem & charitatem ſolvere debeat.

CIX.

Num hoc non eſt Pelagianum illud, Eſſe res iſtas quæ-  
ſtionis, non fidei?

CX.

Absit autem à nobis iſte ſenſus, absit ab iis omnibus, qui  
eorum, quæ ſunt recensita ſuprà, dogmatum abſurditatem, &  
impietatem intelligunt.

Vt

IV.  
Rationes ſca-  
ſorie.

I.  
Ratio.  
Adiaphoria  
dogmatum,



CXI.

Vt enuntiato isti fucum faciant Palatini, exempli loco quæstionem de Fractione panis Eucharistici in medium producant.

CXII.

Atqui de hac quæstione nõ ab initio Reformationis Evāgelicæ publicè pugnatum fuit: sed proximis demum annis dimicari ceptum est. Et quæ conscientia sit ab illis, eorundemque sociis, ut propter ritum istum, & res alias externas, personas, actiones, circumstantias &c. Ecclesiæ pacatissimæ scindantur, quas ipsimet salutis nihil interesse profiterentur?

CXIII.

Deinde liberam de hac quæstione in utramque partem faciunt sententiam (quod est ipso facto à *Μαρορίαν* in quæstionis materia ponere) cui tamen statim è diametro contradicunt, Fractionem panis ex censu rerum indifferentium eximentes, fol. 6.

CXIV.

Et constat sanè, quod de ista quæstione Beza epist. 2. jam pridem scripserit. Sed ipso hoc scripto & sibi ipsi, & vobis à *υλ. Φάσεως* commissæ, luculentus testis est.

CXV.

Insuper necessitas fingitur, quæ violata errorem quidem pariat: non autem fidei & salutis damnum inferatur.

CXVI.

Veritati, non necessitati error est oppositus, quorum illa per errorem violata, non statim salutis est periculum (Errare enim possum, inquit ille, at hæreticus non ero) necessitatis autem in mandato divino nunquam fit sine periculo salutis prævaricatio.

CXVII.

Et nova damnatione nostræ sententiæ, ut & veritate Cœnæ Dominicæ negata non est opus: saltem id à nobis omitti dicant, quod sit ex mandato Christi in celebranda Cœ-

D

na



na necessarium, jam re ipsa dicent, quod à se dici tamen, palam negant, f. 7. 8.

CXVIII.

Et mox ipsi alia rursus contradictione sese implicant, dum fractionem panis, imaginum demolitionem &c. in censu ceremoniarum referunt, quæ sint à Deo ipso ad usum mandatæ ac necessariæ.

CXIX.

Ceremoniarum nobis in Ecclesia Christi quicquam in specie mandatum esse à Deo non meminimus. Non enim ceremoniarum magistrum: sed cultus veri Doctorem nobis Christum cœlestis Pater constituit.

CXX.

Ceremoniam autem in suo genere necessariam statuere, planè est oppositum in adjecto introducere.

CXXI.

Nec sublevat Palatinos id, quod de facto Romanorum scribit Apostolus, Rom. 14. 2. Alius credit se manducare omnia: Qui autem infirmus est, olus manducat, q. hinc evincatur, Non damnandum esse, si adiaphora pro necessariis habeantur.

CXXII.

Nam de facto & sensu privatorum hominum Apostolo sermo est: non de dogmate publico.

CXXIII.

Si quis ergò de Scripturæ mente non satis informatus, bono animo in Deum fertur; quis pius hunc non censebit tolerandum, quamvis bonum ille non procuret. Foveri. n. oportet, quod bonum est, errorem tolli, inquit Augustinus.

CXXIV.

Deinde infirmitati & ignorantia postèrius tribuit Apostolus, ex quo offirmatæ cœcitati & pervicaciæ patrociniū, nullo jure quæritur, Quod sibi tamen arrogare Palatina non erubescunt, f. 11.

CXXV.

Errorem autem errore cumulant, dum Circumcisionis

nis



nis tempore Pauli observatam à *Δις Πογίας* ita negant, ut nullo unquam tempore indifferentem illam fuisse disertè asserant. f. 12.

CXXVI.

Quid ergò de facto Pauli statuent, qui eam in discipulis suis & adhibuit, & non adhibuit? Imò aliquando usurpatam, in casu venditæ necessitatis, eam adhibere nullo modo voluit? Act. 16. 3. Gal. 2. 3.

CXXVII.

In veteri testamento, inquiunt Palatini, mandata illa fuit: tempore Pauli paulatim illam è medio sublatam atque penitus abrogari Deus voluit.

CXXVIII.

Ita est, ut dicitis viri amici: Sed si paulatim & pedetentim in N. testamento abroganda fuit; an non τὸ πᾶσι ἐν ἰσο- lidum sibi à *Δις Πογίας* vendicavit?

CXXIX.

Denique ne libertas quidem Christiana etiam hoc modo lædi à Palatinis scribitur, f. 14. quoniam libertas illa non afferat privato cuique ceremonias & ritus introducendi licentiam, cujus rei potestas sit penes magistratum & ministerium. Quid hoc est, quæso, confusionum? An non cœlum hoc est miscere terræ? Neque enim hîc de jure illo constituendi ritus istos ecclesiasticos agitur, quod nullius ordinis in Ecclesia: sed Ecclesiæ ipsius, & cui hoc ab illa ceditur, est proprium: sed de titulo & natura rituum, & num affectionem necessitatis conciliare istis quisquam possit. Qua in quæstione libertatis Christianæ cardo vel maximè vertitur.

CXXX.

Porro (quod secundum est in hoc capite) controversias nobis intercedentes utrinque, jam tandem ad sufficientiam disceptatas & decisas esse profitentur. In tit. lib.

CXXXI.

Ita quidem nos sentimus: Et verè sic sentimus. Nam ut

2. Ratio.  
Sufficiens con-  
troversiarum de-  
cisio.  
Controversias  
jam satis esse  
decisas.



descriptis publicis sexcentis nihil dicamus; ut latere patiamur ea, quæ in diversis aulis, in Comitibus Imperialibus, in solennibus Principum congressibus in hoc genere acta ventilataque sunt: Quid de tribus saltem illis publicis colloquiis videtur vobis Palatini, Marpurgensi, Maulbrunnensi, Montbelgardensi? An non ora hic vobis præclare obturata sunt?

### CXXXII.

Sed in vobis ut nihil hujus sensus esse suspicemur. 1. illud cogit, quod in publico extant tot solennes vestrae protestationes, Neminem adhuc vel pro Lutheranis contra Sacramentarios, vel pro his contra illos judicasse: nullam de his rebus Synodum in dictam, coram nullis iudicibus auditos esse, qui ad damnationem deponantur, Beza Vol. 1. f. 244. Calvinistarum doctrinam, nunquam esse judicatam, neque spem ullam esse, ut in aliqua Synodo legitime judicetur, Zanchius, Miscel. f. 87. Sacramentarios injuste proclamari hæreticos, cum tamen causa ipsorum nunquam legitimo iudicio cognita sit, Ios. Simlerus in Vita Bullingeri.

### CXXXIII.

Tum diversum liquide Palatini ipsi in hoc ipso suo libello suasorio profitentur. Nam utrum Fractio panis Eucharistici sit in censu rerum indifferentium, de eo adhuc disceptari, & adhuc sub iudice litem esse inquit, f. 11. Hic ex ungue de leone fiat iudicium. Quin imò de præsentia corporis Domini in cœna, in hunc usque diem nondum esse decisam controversiam (annis 80. amplius disceptatam) ipsimet etiam scriptitant, fol. 44.

### CXXXIV.

Tertia suasionis ratio affertur talis, Quicumque in fundamento salutis consentiunt, merito se fratres invicem agnoscunt, licet super fundamentum illud ab aliquibus non aurum & argentum: sed fœnum & stipulæ ædificentur, 1. Cor.

3. Suasionis ratio.  
In fundamento consentiri.



Cor. 3. At sic habet partis dissidentis ratio, quæ retento fundamento, si quid habet à doctrina Lutherana dissentaneum, utit aureum non sit, ligneum tamen aut stuppeum esse potest. fol. 23.

CXXXV.

In duobus consistit argumenti dijudicatio. 1. An lignea & fœnea dici possint, quæ esse à Palatinis perhibentur. 2. An istis positis, fundamentum salutis unicum & illibatū retineatur.

CXXXVI.

Ad ventilationem prioris illud facit, quod lignea, fœnea, stuppea ab Apostolo nominantur, non illa, quæ palàm sunt impia, & cum substantia fidei Christianæ pugnantia; sed ea duntaxat, quæ vel fidei in Christum non nihil ex rebus alienis per circumstantias assuunt: vel ex morum atque ingeniorum humanorum importunitate invec̄ta, cultum Dei vel obscurant non nihil, vel remorantur. Cujus generis erant in Ecclesia Corinthiaca curiosæ & inutiles quæstiones, *λογομαχίαι*, studium immodicum sapientiæ & eloquentiæ humanæ, immodica doctorum admiratio & æmulatio.

CXXXVII.

Ex quo est illud consequens, non esse hujus generis ea, quibus substantia ipsa articulorum fidei impugnatur, & sic consequenter fundamentum salutis evertitur.

CXXXVIII.

Cujus generis ne utiquam suæ partis dogmata esse, Palatini asserunt, inductione facta articulorum quorundam, qui sunt ex cōtroversis tantum non præcipui, quales sunt de Prædestinatione, de causa peccati, de Fide, de Persona Christi, de Cœna Eucharistica.

CXXXIX.

Quo loco miseret nos primum imbecillitatis memoria, cum qua Palatini conficiantur, qui hætenus pugnarunt, omnia, de quibus controversum fuerit hætenus, jam abundè



definita decisaque esse. Iam verò numerum benè magnum  
afferunt eorum articulorum, de quibus adhuc quam maxi-  
mè controvertatur. Item ejus conditionis esse pronuntia-  
runt articulos, de quibus adhuc disceptetur, in quibus cardo  
fidei & salutis neutiquam versetur. Iam verò ea producant  
capita, in quibus prora q. ac puppis salutis & fidei consistit, de  
quibus adhuc lis inter partes ferveat.

CXL.

*Prædestinatione*

Ac primùm Prædestinationis locum assignant, speciosè  
quidem & insidiosè tractatum, in quo nusquam à Luthero  
dissentiant. Sed frustra jacitur rete ante oculos pennato-  
rum.

CXLI.

Summam huc redire inquit, f. 28. lapsu Adamico ho-  
minem horribiliter esse depravatum. Ita fitemur. 2. Vires  
naturæ humanæ ita esse labefactatas illo lapsu, ut ex viribus  
propriis credere in Christum, aut accedere eundem nullo  
modo queat. Assentimur. 3. Ab eodem vocato etiam per  
prædicationem Evangelii, Verbum salutis intelligi, appre-  
hendi que non aliter posse, nisi Spiritus S. gratia & illumina-  
tio superveniat. Non refragamur. 4. Eidem proinde non esse  
opus liberi arbitrii: sed purum putum donum Dei. Rectè  
hæc quoque habent, & fidei ἀναλόγως, ac Lutheranè prorsus  
hactenus omnia. 5. Fidem à Deo conferri non nisi volente.  
Cui autem collatam in tempore velit, eidem etiam voluisse  
ab æterno. Ne hîc quidem repugnamus.

CXLII.

Quid sequitur? Imò quid sequi par fuerat? Illud fuerat,  
Quibusnam ergo fidem largiri Deus velit, quibus nolit: O-  
mnibusne per prædicationem Evangelii vocatis: an tan-  
tùm aliquibus absolutè ad hoc ab æterno destinatis? Hîc n.  
Rhodus, hîc saltus est, hæc est illa Dalila, de qua utrinq; con-  
trovertitur. Hîc pacificatores Palatini pisce magis muti sunt  
&



& uno saltu in abyssum infinitæ scientiæ in Deo se recipiunt, f. 29. Inde duo inferentes, Eos, qui carent fide, non habere, cur cum Deo exoptulent. Et, De infidelibus non esse cum Deo disputandum.

### CXLIII.

Obsecro vos amici, Quid sibi vult sudor iste? quid anhelitus & singultus? Vobis tacentibus, nos id eloquemur. Id nimirum corde premitis, quod verbis fateri erubescitis, Deum nolle fidem largiri omnibus, Deum ab æterno idem noluisse, Deum ab æterno salutem non credentium noluisse, Deum quia fidem largiri noluerit, quippe salutis medium proprium, absolutè salutem ipsorum noluisse ab æterno: Voluisse autem (quod vis contrarietatis evincit) absolutè ab æterno eorundem damnationem: Quod rigidius enuntiat Zanchius Miscel. f. 302. Absolutè vult Deus electos salvos fieri, & vult Deus reprobos absolutè non servari.

### CXLIV.

Hic ergo qualem Deum credant Palatini, Christianus orbis observabit, eum nimirum, Qui nolit omnes credere, Qui hoc ab æterno noluerit, qui pereuntium salutem absolutè ab æterno noluerit: sed voluerit absolutè eorum damnationem. An hæc stuppea est structura? Num hac stante, illibatum fidei fundamentum permanet? Vbi hæc Lutherus docuit?

### CXLV.

Istorum hominum (de Valentiniæ verba facientis hæc sunt Irenæi) errores in lucem producere, est eosdem refutare. Et Hieronymus T. 2. ep. ad Cresiphontem, sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.

Nec



### CXLVI.

Nec subleuat eos hic illud, quod non ad voluntatis in Deo arcanæ scrutationem : sed ad Verbum revelatum, idq; Evangelicum ablegari inquirunt eos, qui de Prædestinatione sua certi esse cupiant, ita quidem, ut verè in Christum & sine hypocrisi credens, certò statuat, se esse in numero Electorum, quoniam scriptum sit, Omnes in Christum credentes non perituros : sed vitam æternam habituros, f. 31.

### CXLVII.

Non ad dogma : sed praxin dogmatis istud pertinet, atque in iis duntaxat locum habet, qui fidei habitum actu ipso in se deprehendunt. Quid autem de iis fiet, qui cum desperatione conflictantur, fidei ne hilum quidem in se persentientes ? His necessariò ex dogmate Palatino illud sese oggeret, Fidem actu non sentis. Igitur ne habes quidem : Fidem non habes tibi datam à Deo. Igitur dare noluit : Quod autem noluit in tempore, ab æterno noluit. Fidem dare noluit. Noluit ergo etiam absolutè salutem conferre. Non igitur voluit ab æterno, nisi damnationem tuam. En qui gurges, quæ vorago desperationis !

### CXLVIII.

Vice autem versa quid de iis fiet, qui ad tempus credunt ? De his quo credunt tempore, quia dici nō potest, quod non credant, erunt illi de Electione sua certi, quia tamen à fide deficientes tandem, excidunt. Cujus contrarium & statuunt Palatini, & statuunt necessum est ex absoluto Electionis decreto. Si enim absolutè eliguntur, absoluta etiam necessitate salvantur electi, Quo modo de simplici impossibilitate fuerit, ut electionis gratia vel excidant unquam ; vel excidere quæant.

### CXLIX.

Elidit ergo seipsum dogma istud prædestinatorium, & eam articuli hujus praxin inducit, quæ theoriam ejusdem prorsus



prorsus evertit, sic comparatam, ut in publico eam profiteri patronos ejus pigeat.

CL.

Scire cupitis amici Palatini, quæ sit via, qua coire possit consensio? *πίστις* est, qua eligimur, qua justificamur, qua glorificamur, eaque *ἰμωρολογησις*. Iustificamur autem ordine fidei præsentis. Glorificamur tandem ordine fidei perseverantis. Eligimur ergo etiam ordine fidei, sed futuræ, tum conferendæ, tum prævisæ à Deo. Decretum itaque vestrum *ἄτακτον* & absolutum ad Garamanthas remittite; imò semel relegatum in Admonitione vestra fol. 113. ubi negastis, à vobis doceri, Deum nuda & absoluta sua voluntate & decreto aliquos ad damnationem ordinasse, non postliminiò in Ecclesiam vestram revocate. Sic consensioni via hac quidem parte parata rectissimè fuerit.

CLI.

Revocatum autem est profectò Colloq. Montb. à Beza & collegis, asserentibus, Deum æternum & immutabile decretum fecisse, omnes causas secundarias antegrediens, quo justo judicio quidam ad æternam damnationem destinati sint. f. 523. Iustitiam Dei in homine declarari non potuisse, nisi eum ad æternam damnationem destinasset. Ibid. Deum occultis causis, sibi soli notis, suo amore, reprobos istos, in suo æterno decreto nunquam dignatum esse, f. 532. Decretum Dei de damnandis peccatoribus, & corruptione, & putribus ejus fructibus non dependere: sed à sola ipsius voluntate. Resp. 2. f. 162. *Paræus in der Rettung* f. 46. 48. 51. Hujus unius dogmatis causa, superioribus seculis hæreseos damnati sunt, quos Sigebertus in Chronicis scribit appellatos fuisse Prædestinatos. Et nos pro stuppeo errore duntaxat istud agnoscamus?

CLII.

Secundus locus est de causa peccati, & Providentia. Vbi

E

ini-



iniquissimè se insimulari conqueruntur, quod Deum peccati autorem faciant, qui delectetur peccatis atque illa adjuvet. Quam à se alienissimam esse sententiam attestantur, & contrarium à se doceri passim, nec aliud sensum esse, aut sentiri adhuc asserunt, quàm quod omnia tam mala, quàm bona divinæ providentiæ, & hujus consilio & voluntati subjaceant, f. 35. eo planè sensu, quo Act. 4. 27. Herodes & Pilatus dicantur fecisse, quæ manus & consilium Dei decreverint fieri, Deo nimirum ista permittente, qui pro sua omnipotentia, si voluisset, impedire ista omnia potuisset, f. 34.

## CLIII.

Gratulamur vobis viri Palatini mentem sobriam, & doctrinæ Lutheranæ sensum aliquem in hoc capite, siquidem seriò & candidè mentem vestram depromitis, & si Deus peccati autor statuatur, blasphemiam esse agnoscitis. Sed estis hîc admonendi de aliquibus.

## CLIV.

Primum blasphemi istius dogmatis reos vos esse a nos fatemini, non directè: sed per consequentiam atque ex hypothesis, candorem aliquem in hoc etiam nobis probantes; sed in eo grande σφάλμα committentes, quod hypothesis istam & consequentiam ex doctrina de Providentiâ à vobis tradita, impertinenter deductam à nostris hominibus esse fingitis.

## CLV.

Providentiæ & prævisioni divinæ omnia tam mala, quàm bona subjacere, si Ecclesia Lutherana aliis libris non abundè docuisset: solus Concordiæ liber id præstare potuisset. f. 600. 770. ut verecundiæ fines profectò gnæviter transeant Palatini, dum in ipsis hoc dogma reprehensum esse comminiscuntur, ubi non nisi per nostrum latus ipsos fodere potuissem.

## CLVI.

Sed alia hypothesis est, quæ ab ipsis hætenus propugnata fuit. I. Calvinus Inst. l. 3. c. 23. sect. 3. inquit, Centies, Deum autorem esse reprobationis confiteor. II. Beza sic



scribit: Malorum operum prævisionem, decreto odij reproborum in Deo non prævisse, Resp. 2. f. 167. III. Oportuisse Hevam & Adamum per Satanam decipi, ut Deus finem creationis hominis consequeretur. Item, Transgressionem Adæ factam neque invito, neque ignorante, neq; otiosè præsciente Deo, neque nuda & otiosa permissione aliqua, quæ ab ipsius voluntate & decreto separetur. Cum enim finem ordinaverit, necesse quoque esse, ut causas ad eum finem ferentes constituerit, Coll. Montb. f. 525. IV. Calvinus habet, Deum mala non tantùm permittere: Verùm etiam efficere, Inst. l. 2. c. 4. sect. 3. Danæus evomit talia, Illa, quæ reprobi & impij agunt, Deus fieri vult, non voluntate tantum permissiva: sed etiam effectiva, nec tantùm, ut alij volunt, voluntate consequente: sed & antecedente tum ipsorum improborum ortum, tum mundi creationem. In Enchir. Augustini f. 878.

#### CLVII.

Iam nos conscientias vestras viri Palatini compellamus. Quia Deo à vobis tributum fuit. 1. Quod sit reprobationis impiorum autor. 2. Quod decretum odij in reprobos prævisionem malorum operum præverit. 3. Quod decreti divini respectu peccare Adamum oportuerit. 4. Quod sine hoc peccato Deus finem creati hominis consequi non potuerit. 5. Quod & damnationem reproborum, & causas ad eum finem ferentes ordinaverit.

6. Quod peccata non tantùm permittat: sed & efficiat & sexcenta alia, his similia: Num invalida hinc à nobis nexa sit consequentia contra vos, Quod Deum peccati autorem statuatis!

#### CLVIII.

Vestrarum etiam conscientiarum iudicio permittimus, An ex providentiæ & prævisionis divinæ hypothese (quæ quidem à nobis minimè impugnatur) an verò ex aliis impuris & blasphemis dogmatibus sit hæc nexa consequentia.

#### CLIX.



Deniq; universi orbis Christiani iudicio delegatum volumus, qua conscientia isti homines in se damnatum esse Permissionis dogma effugiant, quod in nostra Ecclesia defensum tum sannis semper deluserunt, tum hostiliter etiam stylo piloq; persecuti sunt.

CLX.

Notandum verò probè est, quod peccato & lapsu ab absoluto divini decreti consilio jam remoto, Malum istud Palatini ad providentiam seu prævisionem in Deo nunc referre didicerunt. Quam sententiam si retractare aliquando fortè sociorum suorum suasu voluerint; cælo terraque testibus nos relapsionem istam Deo iudici commendabimus.

CLXI.

Utrò autem illis in hoc dogmate Consilii & Voluntatis divinæ terminos largimur. Prævisa enim mala consilio dirigere ac gubernare, proprium est summi illius boni, à quo malum non permitteretur, nisi consilio sapientiæ & potentia suæ bonum inde eliceretur.

CLXII.

Iam permissio ipsa non est, nisi Voluntatis in Deo. Per quem si nihil fieret, nisi quod sit voluntate ejus simplice atque absoluta, de qua Psal. 135. 6. ne ista quidem scriptio Palatina facta esset, quam fide dubia, consilio incerto factam, permittente Deo, nos consilio ejusdem sic dirigendam relinquimus, ut nominis divini gloriæ propagandæ quocunque tandem modo serviat.

CLXIII.

Illud appendicis loco libet hîc attexere, Non novum esse in Ecclesia, ut rei insimulentur hæretici & falsi Doctores eorum dogmatum, quæ licet ipsi palam & directè non agnoscant, imò his etiam disertè contradicant: firma tamen & legitima consequentia ex assertionibus ipsorum eliciuntur. Quod unico Nestorii exemplo planum libet efficere.

CLXIV.

Non



Non simulatè : sed plenis & apertis verbis falsus fuit Nestorius, Vnam singularem in Christo personam esse. Id quod epistola ejusdem ad Cyrillum scripta evincit. T. 12. Concil. f. 662. Quia verò passiones in Christo, sublata reali communicatione Idiomatum, soli humanitati ascriptas, à Divinitate prorsus separavit, in contradictione manifesta, sui ipsius dogmatis vim non intelligens, & effectum à causa sua propria, Communicationem scilicet & Unionem à se invicem divellens; à Patribus Synodi Ephesinæ hæreseos damnatus, & solutæ Unionis personalis in Christo, contra quasvis etiam interpositas protestationes, reus est pronuntiatus.

CLXV.

Tertius locus est de fidei, gratiæ atque electionis diviniæ certitudine ac perseverantia, in quo asserendo, de calumniis sibi facta, mirificè expostulant. Summam dogmatis sui sic proponunt, Impossibile esse, ut electi damnentur. Hoc eò per calumniam torqueri, quasi doceant, Qui electus sit, eum necessariò salvari, quicquid etiam designet. Et vicissim, Qui electus nō sit, necessariò damnari, quacumq; etiam vitæ sanctimonia polleat. Quam à se alienā esse doctrinam, Christo etiam in testem vocato, clamitant, fol. 37. 38. & hanc suam esse sententiam dictitant, Electos hanc ob causam non posse damnari, quoniam virtute Dei custodiantur per fidem in salutem. 1. Pet. 1. 5. & licet labantur aliquando; tamen per pœnitentiam ab eodem erigantur. Si quidem electi non aliter, quàm hac conditione à Deo sint electi, nempe fidei ac regenerationis conferendæ &c. fol. 49.

CLXVI.

Hosti fugienti pontem esse sternendum, vulgò dici consuevisse novimus. Quod igitur fugam hic à Palatinis adornari cernimus, equidem non sine aliqua molestia infectamur fugientes. Quia tamen in ipsa fuga calumniarum tela à tergo projiciunt, ea dispellenda sunt.

*Electio immutabilis.  
Fides & perseverantia ejusdem.*

*Eph. 1. 49.  
Rom. 8. 30.*



CLXVII.

Absolutum ab adversariis tum Electionis, tum Reprobationis decretum in Ecclesiam invecum esse si isti negant, in natura rerum se fuisse negant: & ex præcedentis loci demonstratione ad sufficientiam apparet.

CLXVIII.

Iam plura hic addere non est necessum. Absolutè elegit Deus, duos elegit. Absolutè reprobavit, quos reprobavit. An hoc non illud ipsum est, quod à se traditum, unquam esse, jam Palatini negant?

CLXIX.

Sed clausula illa se gravari conqueruntur. Neque damnari, neq; salvari alter utros posse, quicquid etiam faciant.

CLXX.

Quid est ergo illud, quod utrorumque conditionem & statum incommutabilem esse docuerunt. Rennech. cat. aur. f. 150? An hoc non illud est, quod Sigebertus in Chronicis quondam ab hæreticis traditum esse scribit, qui prædestinati sint appellati, Sic aliquos à Deo esse electos, ut nullum illis obsit peccatum: sic reliquos omnes ab eodem reprobatos esse, ut nulla ipsis profint opera?

CLXXI.

Sed adhuc formalia in terminis deesse clamitant. Agite ergo Bezam audiamus loquentem in Coll. Montb. f. 469. Quos Dominus non elegit, etiam si millies baptisarentur externo aquæ Baptismo: illis tamen nunquam fides aut Christus donatur. Quod autem potest esse melius hominum opus, quàm Sacramentis uti? An hoc non est illud crudum dogma Calvinistarum, Reprobatos non posse salvari, Quicquid etiam faciant?

CLXXII.

De Electis autem quàm cruda & abominanda eorundem fuerit hætenus doctrina, oculis spectandum, imò palpan-  
dum manibus piorum omnium proponimus, Electos non

tan-



tantum non damari posse, quicquid etiam faciant : sed ne remissionem quidem peccatorum semel impetratam, per insequentes lapsus fieri posse irritam. Zanch. ait Miscel. f. 242. Etiam si vitam pessimam ducant, Rennech. Cat. f. 157. Ita ut David etiam in caedem & adulterium ruens, Petrus Christum abnegando, fidem aut Spiritum S. non amiserit. Beza Vol. 1. fol. 207.

CLXXIII.

En vobis Palatini viri, vestram innocentiam! En, quam passi fuistis scilicet, calumniam! En, si tertium etiam habere libet, doctrinae vestrae constantiam, in qua cum pro absoluto consilij divini decreto haecenus semper pugnaveritis, jam fidei conditione ordinatam Electione, & sic non absolutam amplius profitemini. Sed pateat fuga, dummodo absit illud

Ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

CLXXIV.

Quartus, de persona Christi locus est, in quo duas naturas, Divinam & Humanam, personaliter unitas, illi confessi cum Ecclesijs Evangelicis pulchrum sibi consensum intercedere gloriantur, excepto solo Ubiquitatis dogmate, cui non tantum multae Lutheranae ecclesiae, Brunsvicensis, Pomeranica, Holstenica, Marchiaca, Danica; sed & ipsi auditores nostri contradicant, Fol. 39. 40.

CLXXV.

Hac fide de Christo meliorem habent cacodæmones, qui Christum in una persona Deum & hominem : & (quod isti non credunt) generis humani redemptorem agnoscunt; & quod illi detestantur, ut creaturis omnibus, ita sibi etiam presentissimum, potentissimumque profitentur.

CLXXVI.

In loco isto, quod praeter dogma Ubiquitatis (privatam paucorum quorundam opinionem, à plerisque omnibus repudiatam) nihil praeterea controversum esse asserunt: aut quid dicant, nesciunt: aut cum ratione, quod dicitur, infantiunt.

De

Persona Christi.



CLXXVII.

De dogmate isto Formula Concordiæ f. 591. sic habet, Christus jam non tantum ut Deus: verum etiam ut homo, omnia novit, omnia potest, omnibus creaturis præsens est, Et fol. 741. Christus super omnes coelos ascendit, & revera omnia implet, & ubique non tantum ut Deus: verum etiam ut homo, præsens dominatur & regnat à mari ad mare, & usque ad terminos terræ. Similia ibidem extant fol. 755. Num hoc est, paucorum quorundam rixatorum dogma esse, quod in publico Confessionis Ecclesiasticæ symbolo, à tot myriadibus Doctorum subscriptum & approbatum est?

CLXXVIII.

Ecclesiæ, quas isti nominant, me patrono non indigent. Respondent pro plerisque istarum, tot millia chirographorum, quibus intra hos 27. annos vanitas Palatinæ assertio- nis testificatione publica confusa & convicta est. In cæteris fides ipsis habetur, quantum merentur.

CLXXIX.

Iam quid vobis de sequentibus his dogmatibus videtur?  
1. In Christo sic unitas esse naturas duas, ut realiter commune nihil habeant, præter solam nomen, quæ inde sequatur, permutationem, Dei atq; Hominis.

2. Quod Christo nunc etiam in statu exaltationis & Majestatis suæ, ex parte Humanæ Naturæ, non omnia sint cognita: sed ea tantum, quæ scire ipsum decet & par est ratione muneris sui.

3. Quod Christus ratione exaltatæ Humanitatis suæ finitâ, tantum, dimensam & circumscriptam potentiam acceperit, Angelica quidem majorem: sed cum omnipotentia Divinitatis minimè comparandam.

4. Ne nomen quidem omnipotentia Christo ex parte Humanitatis ascribi sine blasphemia posse.

5. Deo, cum universa ipsius omnipotentia impossibile esse



esse, ut efficiat, quod corpus Christi una vice in pluribus locis, quàm uno esse possit, modo quantum quantum cœlesti & supernaturali.

6. Ex ore Dei maledictum & blasphemè idololatram esse, quisquis Christum hominem adoret, & cultum adorationis non ad solam ejus Divinitatem dirigat.

7. Non Filium Dei pro nobis passum esse: sed solam carnem ejus & Humanitatem: sic tamen, quod Filius Dei Humanitatem suam sustentarit.

8. Carnem Christi nihil prodesse, nec magis esse vivificam, quàm Petri, aut alius cujusquam Sancti. Hæc vestra sunt, Palatini, & sociorum vestrorum de Christo dogmata. Quæ nos ex inferni baratro profecta esse credimus. Num est ergo de persona Christi vestræ cum nostris Ecclesiis consensus?

### CLXXX.

Quintus de Cœna Eucharistica locus est, quem unum superesse Palatini dictitant, in quo à Luthero dissentiant: neque isto sanè integro: sed ea duntaxat ejus parte, quæ sit omnium levissima, f. 41. nempe de Manducatione reali corporis Christi, quæ sit signum tantum Spiritualis, quam ipsi fateantur, fol. 42. Qua concessa, non dici possit, In Cœna tantum symbola & signa inania sumi: sed ipsum corpus Dominicum, fol. 43. De cujus non manducatione: sed modo manducationis solummodò controversia existat, f. 44. In quo capite si errari maximè ab istis contingat; in fundamento tamen salutis non errari, neque hoc nomine fraternitatem ipsis negandam esse. f. 51.

*Cœna Domini.*

### CLXXXI.

Falsissimis hypothesibus tota hæc structura nititur. Ad quam brevi manu demoliendam hunc arietem admoveamus. Negata Sacramentali manducatione, Sacramentum ipsum negatur. Adversarii illam negant. Igitur.

F

Major



CLXXXII.

Major cum luce sua patet, minor sic astruitur. Duorum inclusio præcisa, tertii est exclusio. Adversarii geminam duntaxat manducationem admittunt, Vnam elementorum visibilibus, quæ non est Sacramentalis: sed naturalis. Alteram spiritualem, quæ non est corporis & sanguinis Christi manducatio, nisi metaphorica: sed meritorum duntaxat & beneficiorum inde emanantium participatio: neq; hujus Sacramenti propria: sed Sacramentorum omnium, imò Verbi etiam ipsius prædicati communis. Tertiam ergo abnegant, & consequenter, Ipsum Sacramentum. Num hoc verò est leviculum?

CLXXXIII.

Deinde corporis Christi realem manducationem, Spirituales manducationis signum esse, Atque in præsentia rei, de signo frivole contendit asserunt.

CLXXXIV.

Incompleta prior est assertio. Non. n. signum tantum: sed & obsignatio atq; pignus illa est spiritualis manducationis, qua mediante fit nimirum, ut de hac posteriore efficiamur certiores. At pani & vino obsignationem istam tribuere, absurdum est. Fit igitur illa mediante corpore & sanguine Christi manducato bibitoq;.

CLXXXV.

De usu verò & necessitate hujus ordinationis cum Christo exoptulet, qui volet qui in re præsentissima, nempe cõmunicatione meritorum & beneficiorum Christi, obsignationem tamen ejus fieri, instituto isto Sacramento, voluit.

CLXXXVI.

Tam si in spirituali manducatione propriè nulla fit substantiæ corporis Christi manducatio: Sacramentalis autem manducatio in Sacramento nulla est: num aliud quàm panis



nis edatur & vinum bibatur, hoc est, vacua corpore & sanguine Dominico in Cœna relinquuntur symbola, pro cuius iudicandum relinquimus.

### CLXXXVII.

Ex quo planum illud evadit tandem, quàm verum sit, quod Palatini asserunt, Non de manducatione ipsa Corporis Dominici: sed de modo duntaxat manducationis esse controversiam, quem illi spirituales duntaxat, & fidei proprium statuunt: nos & spiritualiter per fidem, & corporaliter ore fieri contendamus.

### CLXXXVIII.

Nam de substantia corporis Dominici, non credenda, sed edenda nos pugnamus. Quod tamen si ore corporeo fieri contendimus, siquidem sine oris organo nunquam editur, quod fieri velle, expresso mandato Christus præcepit: modum tamen ejus imperscrutabilem esse credimus, tantum abest, ut de eo disceptationis quicquam cum quoquam suscipiamus, ut habet Lutherus. T. 6. f. 507.

### CLXXXIX.

Quid est autem nisi lusus quidam, quod verbis Christi fidem à se non negari Palatini inquit: sed de sensu & intellectu duntaxat eorundem ambigi. f. 45.

### CXC.

Quid sunt ergo verba sine sensu? quæ si rerum ipsarum symbola non sunt, ne verba quidem amplius: sed nugæ sunt.

### CXCI.

Et frivola est, qua se in hoc sensu niti dicunt, dubitationis ratio. 1. Quia unum duntaxat Christo corpus fit, id quæ ad cœlum evehctum fol. 46. Siquidem diversus essendi modus, numerum in substantia corporis non efficit:



Et Ascensus in cœlum, præsentiam corporis ejusdem in Cœna non tollit, sed extollit: non evertit, sed stabilit.

CXCII.

Qua nihilo melior est secunda ratio, ex analogia phrasium Sacramentalium petita, Gen. 17. 10. & Exod. 12. 11. 27. 1. Cor. II. 24. fol. 47. 48. quarum prædicationum diversissima est ratio ab ea, qua de partibus essentialibus Sacramenti in verbis institutionis Christi agitur. Taceo, quod hæc argutatio de signo & commemoratione contradicit iis, quæ paulò antè sunt ab istis dicta de Corporis Christi in Cœna præsentia & manducatione, cujus si signum duntaxat est in Cœna, non erit juxta istos præsentia: si commemoratio sit duntaxat, non fiet manducatio.

CXCIII.

Nihilo magis tertia militat, quod Ioan. 6. corporalem manducationem corporis Christi à Christo rejectam esse perhibent, De naturali enim seu Capernaïtica, non de vera & reali corporis Christi manducatione istud est accipiendū.

CXCIV.

Expirat ergò tandem Palatina etiam hypothesis, qua sibi securitatem ex vilitate erroris pollicentur. Qui solverit unum de mandatis Dei minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum, Matth. 5. 18. Error unus pertinaciter defensus, hæreticum facit.

CXCV.

Quarta in suasionem Palatina Impossibilitatis est ratio, quæ ex imperfectione scientiæ humanæ prætenfa emergit, 1. Cor. 13. 9. Ex parte cognoscimus &c. qua fiat, ut quæ optari possit, sperari nunquam debeat, omnium de capitibus omnib. in religione consensus. Id quod exemplo Patrum Ecclesiasticorum docetur, quorum nulli in scriptis suis per omnia cum reliquis conveniat.

CXCVI.

Per-

**IV.**  
*Suasionis ratio.*  
*Imperfectio hu-*  
*mana.*



Personalia hæc sunt, & privatorum hominum propria. Ex quibus ad errores publicos, eosque in summa luce pertinaciter adhuc defensos, elumbis fit collectio.

CXCVII.

Ac potest quidem inter eos, qui sunt donis diversissimi, constare vera Unitas. Qui autem sensu de Deo differunt, his illa, quæ somniatur, Spiritus unitas intercedere ne utiquam potest.

CXCVIII.

Et tolerantur sanè à nobis errantes, juxta præceptum Apostolicum. Phil. 3. 15. 16. Sed ex infirmitate atque ignorantia errantes & sanabiles, quiq; à nobis non exeunt. Adversariorum alia est conditio, qui & discessionem à nobis, A. 1530. publicam primi ipsi fecerunt: & passim hostili animo hætenus in nostros grassati, spem sanabilitatis (proh dolor) exiguam nobis hætenus reliquerunt. Utinam in melius commutandam!

CXCIX.

Ultima in suadendo periculi est ratio, quæ apud ipsos fortasse plurimum militat. Periculum autem inculcant atq; exaggerant, quod à communi & sævissimo hoste in Papatu nobis immineat. Fol. 18. 57.

*P.  
Suasionis ratio.  
Periculum à  
Pontificis.*

CC.

Iam scitum quidem illud est Hieronymi, Amicorum dispendia, hostium sunt compendia. Sed quorsum præsentium temporum pericula exaggerantur? Quasi verò tempore exhibitæ Confessionis Augustanæ, non decuplo majus illud fuerit; Cujus tamen nihil tum adversariis in mentem venit.

CCI.

Et quid ad hoc periculum propulsandum faciat, quæ nobis à Palatinis via ostenditur?

CCII.

**F 3**

**Ncq;**



Neq; defuit profectò hætenus securitati aduersariorum à nostra parte patrocinium, ut est supra ostensum, & ut spero, neque in posterum deerit, quantum salva veritate fieri poterit, dummodò res novas moliri, & pacem publicam turbare dediscant.

### CCIII.

Quod in religiosa (quæ vocatur) pacificationis beneficio non confidenter nobis esse acquiescendum monent fol. 20. pessimæ fidei consultores sunt ut eo, tanquam forex, suo se prodètes indicio, dum nihil ferunt ægrius, quàm si beneficii ejusdem consortes esse, ab aliquo fortè negentur.

### CCIV.

Atqui esto sanè, sint homines aliqui sanguinariù, qui sanctionem istam è medio sublatam cupiant: quid hoc ad ordines, quid ad caput ipsum Imperii, unde nervus omnis sanctionis istius, postquam à Deo discessum est, dependet? *Liget nicht an der Hund heulen/ das die Pferdt sterben.*

### CCV.

Quod de periculo Papatus inualituri admonent, ex oblivione abominationum Papisticarum metuendo, quam perennis Sacramentariorum refutatio apud nostros homines conciliet, fol. 59. jubemus illos suarum rerum satagere, & memores esse præcepti Apostolici, *μη ἀλλοτρίοις πιακοπεῖν*

1. Pet. 4. 15.

### CCVI.

Pauca illos: sed oppidò necessaria vicissim admonentes. Quorum primum hoc esto, Vt libidinem mentendi deponant. Quod enim Lutherus quondam ad amicum scripsit, Sacramentarios esse non solum mendaces, sed ipsum mendacium; de hoc nos adhuc justissimè jure conqueri, eorum etjam constat iudicio, qui in causa religionis ab utraq; parte sunt alienissimè.

### CCVII.

2. Quod iam modò subiinuimus, turbulentis & seditiosis

Anno 1530. ad  
Iac. Præpositū.



sis machinationibus (ex quibus haecenus q. compacti esse  
toti, non nobis magis, quam orbi Christianorum universo  
vili sunt) valedicentes, paci publicae favere, & pietatis cul-  
tum in tranquillo exercere satagant. Nam qua fide pacem  
flagitarint, atq; etiam obtinuerint haecenus aliquibus in lo-  
cis, tristi experimento didicimus, dum illa potitis, res novas  
illico movere & persecutionibus favere consuetum fuit.

*Gebrandt Kind fürchtet das Feuer.*

CCVIII.

3. Communem illam suorum hominum *à Deo* cor-  
rigant, qua factum est haecenus, ut cum fidei Sacramentariae  
professione suscepta, illa statim pietati, timori Domini, reve-  
rentiae sacrorum universae, morum disciplinae consuetae, or-  
dini & pudori omni in solidum renuntiasse animadverti sint.

CCIX.

4. Denique ex notationibus superioribus Catalogo er-  
rorum & blasphemiarum collecto, & consilio cum sociis  
suis inito, certiores nos scripto publico faciant, quas blasphe-  
mias abjurare, quibus doctrinae purioris corruptelis nun-  
tium remittere apud se decreverint.

CCX.

Interim nos vota pro illorum illuminatione ad Deum  
concipere, & emendationis aliquid ab istis polliceri nobis  
atque expectare non desinemus: In contrario eventu, Pro-  
phetae illud cum gemitu geminaturi, Dolor meus super do-  
lorem, in me cor meum moerens, Vox clamoris nostri de  
terra longinqua, Nunquid Dominus non est in Sion, aut  
rex ejus non est in ea? Nunquid resina non est in Gilead?  
aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cic-  
atrix filiae populi mei? Super contritione filiae populi mei con-  
tritus sum & contristatus, stupor obtinuit me, Jerem 8.

F I N I S.

*Perlegi dant. Deo d. 18 Aug. 1705.*







05 A 1485

ULB Halle

3

003 778 258




V017












Farbkarte #13

B.I.G.



ECCLIE-  
ANGE-

es

...opus usum præben-  
... Palatino expedien-  
...angelicæ fraterna  
...titur,

DIO

YLLID.

, & Superinten-  
& Ecclesia

si:

conabitur

POLYCARPI F.

rgensis,

Martij

etis.

or. Saxon.

GAE,

ohan. Gorman.

ii, Anno 1607.

